



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Libri// Officialis// Sive Agendae S.// Ecclesiae Treverensis
Pars// Prior**

Jakob <III., Trier, Erzbischof>

Avgvstae Treverorum, 1574

VD16 A 766

Iacobvs Dei Gratia Archiepiscopus Treverensis, Sacri Romani Imperii Per
Galliam ac regnum Arelatense Archicancellarius, Princeps Elector, & cæt.
Ad Perpetvam Rei Memoriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72595)

LIBRI



IACOBVS DEI GRA

TIA ARCHIEPISCOPVS TRE

VERENSIS, SACRI ROMANI IMPERII PER

Galliam ac regnum Arelatense Archicancellarius, Prin-
ceps Elector, & cæc.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



*V*M antea quidem sæpè multorum in Diœcesi nostra Trene-
rensi quærela audita sint de varietate Agendarum, ex quibus
Sacramenta solenni ritu dispensantur, tum verò ex actis Vi-
sitationis, quam annis superioribus ob hanc quoque causam in-
stituendam curauimus, ita scindi eam communionem, quæ non
minus in Sacramentorum vsu, quam Verbi Dei doctrina esse
debet, didicimus non sine dolore, vt propemodum quot sunt Ec-
clesiæ, tot variarent Agendarum formula. Ex qua dissimili-

tudine, illorum etiam fortassis procacior facta est temeritas, qui addentes, ac interpo-
nentes quadam, quæ in nullis Agendis extarent, longius non à nostræ solum Treuerensis,
sed ab omni omnino Catholica Ecclesiæ consuetudine discedere non sunt veriti: Qua-
re cum in tam celebri diœcesi nostra, non minus vna debeat esse Agenda, quam vnum
Breviarium, & vnum Missale & reliqua quæ sub vno capite, & in vno Ecclesiæ corpo-
re merito sunt vna & eadem, non iam aliorum modo desiderijs, & iustis votis adducti,
sed nostra etiam sponte & ratione muneris pastoralis, quod licet meritis impares, susce-
pimus, immò & ipsius rei necessitate commoti, consilium cepimus nouæ Agendæ Tre-
uerensis, per quam & confusio illa è diuersitate nata tolleretur, & consensio in ministe-
rio Sacramentorum per totam diœcesim nostram reuocata restitueretur, & perpetuis
post hac temporibus conseruaretur: Quamquam & suo quodammodo iure, quod anti-
quitus constitutum est, Pastores à nobis hanc curam, & cautionem expetant. Nam
in Concilio Toletano IIII. Presbyteri, cum in parochijs ordinantur, iubentur libellum
officiale, hoc est, qui complectatur officium Ecclesiasticum, accipere ab Episcopo,
eius rationem reddere, quomodo susceptum officium celebrent, & baptizent. Et Con-
cilium generale sub Innocentio III. Episcopis præcipit, vt sacerdotes diligenter in-
struant & informant, vel per se, vel per viros idoneos super diuinis officijs, & ecclesia-
sticis sacramentis. Porro in hac Agenda, siue vt à Concilio vocatur, libro officiali,
magnum delectum, & iudicium adhibendum, curauimus, vt Sacramentorum admi-
nistratio sincerè, & ad normam orthodoxæ vetustatis tractaretur, addita ad singula
Sacramenta breui & necessaria institutione, quæ Pastoribus multum lucis, & adiu-
menti ad munus suum rectè, & sine errore obeundum præberet. Deinde benedictiones
herbarum, & aliarum rerum omnis generis quæ iuxta doctrinam D. Pauli per Ver-
bum Dei & orationem sanctificantur, ex ritu Catholice Ecclesiæ, & certissima tradi-
tione religiosa antiquitatis, adiecitimus. Quamobrem vt in omnibus concordie ratio
diu desiderata constet, auctoritate presentium, tollimus, interdiciamus, & abrogamus
vsum omnium Agendarum alterius cuiuscunque diœcesis, non tanquam suspectarum,
aut minus catholicarum, sed cum ea communionem quam omnes pijs vna nobiscum inter
membra corporis, & sub vno capite desiderant minus congruentium. Omnibusq; Pa-
storibus, & pastorale officium per nostram diœcesim ministrantibus iniungimus, & sub
virtute S. Obedientiæ mandamus, vt ceteris Agendis & formulis in dispensatione

Cap. 25.
Dist. 38. ca.
Quoniam
presbyteri.

De atat. &
qualit. or-
dinand. c.
Cū sit ars,

1. Timot. 4.

PRAEFATIO.

Sacramentorum quibuscunque abolitis & sublatis, hanc nostro nomine editam Agendam, in omnibus post hac, hoc est. post festum Natiuitatis Christi Saluatoris nostri anni huius 1573. sequantur, ita ut nullo unquam tempore quicquam in ea vel mutent, vel addant, vel detrahant. Committendo nihilominus Reuerendis Archidiaconis, qui ut oculi Episcoporum appellantur, ita per Episcopatum circumspicere debent, ut hanc nostram voluntatem, tum per se, tum per Decanos rurales sibi subiectos exequendam curent, operamque dent, ut interdicto omnium aliarum usu, huius exemplum in omnibus Ecclesijs parochialibus habeatur, Vindicantes & legitimis poenis afficientes, tum in Visitationibus, tum alio quouis tempore, inobedientiam eorum, qui nostram auctoritatem violare, & concordiam nostrae diocesis temerarijs ausis scindere praesumpserint. Datum Confluentia 12. Calend. July. Anno 1573.

Πρὸς τὸν